

dibili peruerſitate eorum, qui ad maioris diſciplinæ, vel potius opificii, ſic enim appellat Camerarius, profeſſionem euecti, Graecarum litterarum tenuitatem ſcilicet ſuperbi deſpicerent et aſpernarentur. Homerus quidem et Thucydides cum ſuis enarratoribus, Herodotus, Sophocles, Theognis, etiam Ariſtoteles, Xenophon, Aphthonius, et alii, ſecomtos egregie et ornatos a Camerario, Latinaeque linguae luce illuſtratos, teſtantur et gaudent. Epiſtolae vero, verficuli, libri etiam, quos lingua Graeca compositos reliquit ſane haud paucos, nonne habentur maxima et grauiſſima documenta nouae cuiusdam et inuſitatae Graecarum litterarum cognitionis? Fuit enim hoc in more poſitum et in inſtitutis temporum illorum, vt qui laudem elegantis egregiaeque doctrinae conſequi et tueri vellent, ii lingua Graeca ita vterentur, vt Latina. Iam quanta putatis, Auditores, lectionis diligentia, quanta exercitationis aſſiduitate et conſtantia, quanta laboris patientia, opus fuiſſe ad conquirendas copias ſermonis vtriuſque tam multas et tam firmas? praefertim quum careret aetas illa omnibus iis adminiculis, quibus noſtri ſaeculi felicitas etiam abundat, ſed ita abundat, vt ex iſta ipſa abundantia et copia manare redundareque videatur hoc incommodi et mali, vt langueſcant ſtudia bonarum litterarum conſeneſcantque.

Conſequutus autem erat Camerarius eximia illa Graecae Latinaeque linguae facultate non modo tantam auctoritatem apud omnes et famam, vt qui tum vellent ſcriptorem aliquem, ſiue Graecum, ſiue Latinum, emittere, hi eum, tanquam Iouem Dodonaicum, conſulerent, et ab nomine eius atque epiſtolis